



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CLXIV. Differentia 35. Qui proponit exceptionem peremptoriam post  
fundatam intentionem actoris, & in probatione illius deficit. Iure Canonico  
condemnatur actori in expensas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

obligationem in hæredes cum malè par- non intulerint: non minùs, quàm fu-  
tis transfert. Ac proinde tenentur satisfac- rum, raptorum, & incendiariorum  
ere læsis, quamvis per se ipsi damnum hæredes.

## CLXIV

## DIFFERENTIA 35.

Qui proponit exceptionem peremptoriam post fundatam intentionem actoris & in probatione illius deficit. Iure Canonico condemnatur actori in expensas. *c. sinem litib. De dol. & cont.* Iure civili autem talis condemnatio non fit, nisi in fine causæ, ubi victus victori in expensas condemnatur. *l. properandum. §. Sin autem. C. de iudic. Bartol. 77.*

I. Exceptio est actionis, vel intentionis agentis exclusio. *l. 2. ff. De except.* Alia est facti, alia juris. Facti, quando nullo iure actor agit, V. gr. ex mutuo, quod nunquam dedit. Iuris, quæ actionem iure competentem excludit, Exceptiones iuris quædam sunt dilatoriae, & temporales; quædam perpetuæ, & peremptoriae. *§. Appellantur. Inst. De except. l. 2. & 3. ff. eod.* De peremptoriâ loquitur citatorum *c. sinem litibus de dolo & contum.* cuius summa est.

II. Qui fundatâ intentione actoris exceptionem peremptoriam obijcit, quâ non probat in continenti, sed accipit iudicis, si defecerit in probando, condemnatur statim non expectatâ definitiva sententiâ in expensas & solvere cogitur. Quod si non potest, punitur in corpore secundum arbitrium iudicis. Idem valet in exceptione dilatoriâ, si calumniosè proponatur ante litem contestatam, deque eo evidenter constet.

III. In foro civili alia praxis est. Non

enim nisi iudicio absoluto, & sententiâ latâ victori victus in expensis condemnatur *c. sin. de pena calum. Auth. De iudic. §. Oportet. Collat. 6. Auth. Generaliter. §. Et si C. de epis. & cler.* Sed hic distinctione opus est, & dispiciendum, an habuerit reus probabilem causam litigandi, vel non: & utrum sit iuramentum calumniæ præstitum quo factò non debet condemnari in expensas, quia non præsumitur quis immemor suæ salutis. *c. Sancimus 1. Q. 7.* Non condemnatur in expensas, quia habuit probabilem causam litigandi. *V. Gloss. in c. cit. Finem litib.* Aliqui nihilominus tenent nulla distinctione opus esse, quia eo ipso quod succumbit, malam causam habuisse præsumitur. *arg. C. De ep. & cler. & Auth. Generaliter.*

\* \*

\* \*

Z 2

CLXV. DIF.